

QK 517. 57

B. M.

Yd
6102

REGULAS QUASDAM VITAE AC
DEMICAE SUIS DISCIPULIS PRAE-
SCRIBERE INCIPIT

ET PRAETER

INSPECTORES SCHOLAE GRAUSSIIMOS

OMNES

SCHNEEBERGENSIUM MUSARUM
FAUTORES

VT


ACTUM VALEDICTORIUM

DIE II. MAII HABENDUM ET LUSTRATIONEM
SCHOLAE DIE IX. MAII ET SEQUENTI-
BUS INSTITUENDAM
SUA CONDECORARE VELINT PRAESENTIA

ENIXE ROGAT

DANIEL TRAUGOTT MULLER
RECT. SCHOL. SCHNEEBERG.

LITTERIS CAROLI GUILIELMI FULDAE,
a. r. f. c. 10 CCXXXXV.



* * * * *

Parentibus liberorum salutem curae cordique esse quam maxime, quis est, qui neget? nisi forte quosdam deprehendas, omnem quasi exuentes humanam naturam, et ipsa bruta ferocitate vincentes. At credas etiam, omnes praeceptores probos atque honestos suorum discipulorum, quos liberorum instar diligunt, non vero vili tantum mercede commoti instruunt, indefessam agere curam. Quare mirandum non est, quod et tunc praecepit curis angantur sollicitis, si quidam eorum fidei concreti liberiori aëri sunt committendi, et ad vitam academicam ablegandi. Verba Morhofii quondam celeberrimi et ad sera usque secula summa cum laude commemorandi huc transscribenda esse censeo, quae sane praeceptorum scholasticorum sollicitudinem depingere possunt. Ita vero ille (a); E scholis in academias tironem nostrum velut in alterum orbem deducimus. Misere iam cum illo agitur, nisi doctrinam illo ordine dignam moresque idoneos affraterat. Hic enim prima et ingenii et iudicii ipsi experimenta capienda; quibus ubi succubuerit, et fortuna et salus eius periclitabitur. At addas etiam; nisi ille crebras crebrasque mali occasiones vitauerit, salus eius et in hac et futura vita periclitabitur. Qua ratione vero pericula eiusmodi auertenda sunt atque declinanda? Multa hic occurunt neutquam negligenda, quorum nonnulla et in gratiam eorum iuuenium, qui nunc ad Musas Lipsienses abeunt, et illorum, qui in posterum e schola nostra honeste erunt dimittendi, annotabo, et ceu documentum mei in illos amoris minus fucati illis tradam. Instruam eos nimirum quibusdam praeceptis, non quidem doctis, sed certe paternis, salutaribus, et ad vitam academicam apprime facientibus. Multos talia praecepta iamiam conscripsisse non nego, et quidem Viros immortalis nominis fama clarissimos (b). At laureolam in mustaceo me non quaerere, velim tibi persuade-

as,

(a) In Polyhistore, Lib. II. Cap. XI. in init. p. m. 454. (b) e quibus unicum iam nominasse sufficiat, nempe Godof. Polyc. Mullerum, Gymnasii Zittauiensis quondam Directorem solertissimum, ante quosdam vero annos ad errores Herrnhutanorum delaplum, qui Lipsiae a. 1720. edidit: Die academische Klugheit in Erlernung aller vier Facultäten der Gelehrsamkeit.

as, nec me cum Pinello aliisque academiarum hostibus facere putes. Academiarum enim utilitatem, si quis alius, probe cognitam habeo atque perspectam. Sed nulla alia praeter sincerum erga meos discipulos amorem, causa me impellit, ut regulas quasdam illis praescribam, quomodo in academiis studia tractare, et vitam suam instituere debeant. Antequam vero Mentoris suscipio partes (c), iisque academias petituris comitem me adiungo, vnicum ex multis praemonendum esse existimo. Et quidem hic „non meis, sed rursus Morhofii verbis utar, Adeat, inquietis „(d), academiam adolescens, sed tum demum, ubi studium scho-„laisticum feliciter emensus fuerit. Nisi enim haec studia in aca-„demiam intulerit, rudis hinc stipesque redibit, quibuscumque „etiam phaleris titulisque ornatus. Nam sane, qui

olim truncus erat siculnus, inutile lignum,

„nunc non repente fiet Mercurius. Maturitatem vero ingenii vix ac ne vix quidem ante togam sumtam et aetatis maturitatem quis assequitur, adeoque homines immaturi arduis academiae studiis temere non sunt admouendi. Doctorum praecocium passim quidem prostant exempla (e): at optimum quodque rarissimum est (f). Quare eiusmodi rarissimi ingenii homines mirari quidem, non vero imitari licet. Et praeterea, si etiam sufficientia adolescens rerum scholasticarum gaudeat scientia, non tamen facile prudentiam, quae magna sane requiritur, sufficientem habebit ad studia academica rite suscipienda, vitamque academicam sapienter instituendam. Namque licet optimis optime perpolitus sit scientiis, multarumque linguarum cognitionem calleat, plerumque tamen carebit arte sibi a societate peruersorum cauendi, seque et sua gubernandi. Hinc saepiuscule optimi depravuantur iuuenes, qui et raro ad ingenium redeunt. Verbo, si cum Icaro imprudenti alte volant, cum ipso quoque lapsu graui ruunt.

) : (2 .

(c) Vid. les Avantures de Telemaque par Messire de la Motte Fenelon. (d) loc. cit. p. 455. (e) videantur de iis Herr. Klausingii Dissert. de Doctis Praecocibus, Vitemb. a. 1702. et Praeceptoris mei, quem post mortem etiam vencror, Io. Gottlob Pfeifferi Dissert. ostendens Θαυματὸν in actate tenera, Lips. a. 1696. nec non D. Goetzii Elogia Praecocium quorundam Eruditorum, et aliorum Virorum Doctorum, Lubec. a. 1709. (f) Cicero de Fin. II, 25.

ruunt. Ne vero opineris, me haecce ideo scribere, vt discipu-
los per plures annos in schola detineam, et ab academiis auocem.
Minime gentium! Istos, qui rite sunt praeparati lubentissime
dimitto, quin imo illis abitus auctor suasorque ipse sum. Nec
primus ego sum, iuuenes a praematuro academias frequentandi
pruritu auocans; sed multi viri scholastici suorum salutem aman-
tes iamdudum idem fecerunt (g). Sed sufficient haec, vt rem i-
psam aggredi queam. Cautem nimurum mercari discat iuuenis bene
praeparatus, et Mineruae sedem nunc aditurus. Summum cul-
tum adeo infelicissimae illae gentes, multa numina sibi eligen-
tes, Diis suis exhibuerunt, siquidem Plinius, vt alios sicco trans-
eam pede, Traianum exinde laudat (h), quia putet; homines
Ioui Optimu Maximo debere, quicquid debeant. Quin idem
Plinius omnium rerum initium a precibus capiendum esse exclam-
mat (i), quod nihil rite, nihilque prouidenter homines sine Deo-
rum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. O quam
religiosa profani hominis verba et Christiano sane digna! Orac-
ula sacra praeter haec saepissime cultum diuinum commendant,
et a Deo, omnis salutis et fortunae fonte initium esse capiendum
commonstrant, adeo, vt de veritate huius officii, non nisi pri-
uatus omni ratione, dubitare possit. Et sane academiae ciuis, si
quis alias, Dei ope indiget, quare etiam a vera luce aberrantes
Philosophi *τελευτηνος*, Genium, Apollinem, Pallada et Musas sem-
per venerati sunt. Venerentur itaque potius Numen illud sum-
mum, Patrem et Originem Sapientiae (k) christiani Studiosi,
quia eius auxilio destituti aut nullam, aut impiam atque pernici-
osam adipiscuntur erationem (l). Et quanta, proh dolor! in
rebus publicis Christianis provenit malorum Ilias ex peruersa et
impia eruditione! Quam multi eiusmodi docti sua eruditione
peſſi-

(g) Scriptit a. 1740. Fr. Nic. Ulrich, Con-Rect. Rudolphop. Programma de immatu-
turo academiae candidato, et sibi et reip. litter. pernicioſo, quod citatur in
Celeberrimi Biedermannii Act. Scholast. Tom. I. p. 373. (h) in Panegyrico
Cap. LII. §. 5. (i) loc. cit. cap. 1. (k) Proverb. II. 6. Ies. XI. 2. Ephes. I. 17.
(l) Legenda hic omnino est Godofredi Vockerode Consultatio II. de Lite-
rarum Studiis, quae in eius Operibus Gotha, a. 1705. editis deprehenditur
pag. 34. seqq.

pessime vtuntur, adeo, vt ista quasi gladius sit in manu furientis.
Spinozae, Vanini, Socini et innumeri alii exempli loco adduci
possent. Quare necessarium est quam maxime, vt studiosi, qui
Musis se dicarunt, cultum diuinum cum cultu sapientiae atque
eruditioris coniungant, et potissimum ab iis sibi caueant, qui
honori sibi ducunt, alias peruersa dogmata docere, aut iis ad
libidinem vitamque perditam, sub tirulo libertatis, facem praeferre.
Potissimum hac nostra aetate de hac re monendi sunt iu-
uenes, quippe qua omnino exclamandum est: O Deus immor-
talis, vbinam gentium sumus; O tempora, o mores! Athei,
Epicurei, Indifferentistae, Naturalistae, Fanatici et veritatis sacrae
hostes vbiuis fere suos habent fautores atque defensores. Eos
itaque, o mei, cane peius viteris et angue, et ne latum quidem
vnguem a purioribus doctrinis et cultu Dei casto atque sancto
vos auocari patiamini! Pondera argumentorum contra p-
resentissimum istud atque frequentissimum venenum vestrae sem-
per infixa haereant memoriae; quod timor Dei sapientiae verae
sit initium (m); quod Dei summi mandata vos ad hoc adigant;
et quod hic vestrae fortunae stator atque conseruator vos, si ipsi
ita visum fuerit, hac ratione sit fortunatus, aut, ipsius cultu
neglecto, omni vere prospéro successu sit priuatus. Quod
si Deum summum pie religioseque estis deueneraturi, eiusque
legibus vita exprimendis omnem operam adhibituri; nihil por-
ro vobis sit antiquius legibus salutaribus, humanis licet, obser-
uandis. Dei enim partes gerunt magistratus in his terris; qua-
re numina saepius et magistratus et reges vocantur, non quod
sint, sed quod ab aeterno numine constituti locum eius obtine-
ant (n); Quare obtemperetis praeceptis a Serenissimis Prin-
cipibus praescriptis, et debitam obedientiam atque reuerentiam
magistrati academico neutiquam denegetis, sed leges academi-
cas, optimas profecto atque utilissimas sancte seruetis. Praestan-
tia academiarum iudicanda est non e nimia licentia ciuibus con-
cessa, sed e legibus salutaribus. Quare isti studiosi academiis o-

) : (3

mni-

(m) Psalm. CXI, 10. (n) Verba haec sunt Aug. Buchneri in Notis Ioannis Barclaii
Iconi Animorum subiectis p. 8, edit. Dresd. 1680.

mmino sunt dedecori, qui disfluunt luxuria, omnibus criminibus
se maculant, sibique leges rogaras plane non esse, autumant.
Quasi vero hominem liberalem, et artibus libero dignis perpoli-
tum deceat, frenum mordere, legesque euertere? Testis hic
prodeat in scenam Seneca, egregie scribens (o): Errare mihi
,,videntur, qui existimant, philosophiae fideliter deditos contu-
,,maces esse ac refractarios, et contemtores magistratum ac regum,
eorumue per quos publica administrantur. Praeterea contem-
tores legum magistratui academico, pro eo vt par est, poenas
graues dependere coguntur, quin imo saepius, vt mali fortunae
suae fabri, felicitati suae impedimenta afferunt grauissima, nec
non quandoque interitum ipsum. Quis enim istis faueret, qui
societas humanae vincula, leges, dissoluere non erubescunt?
Quis istos amore complecteretur, qui, inobedientiae aut crimi-
num foedorum caussa, poenis grauibus aut infamia sunt notati?
Alia multa praecepta meis academiae candidatis essent praescri-
benda, si paginae angustia illa caperet. At iis primae occasione
reseruatis ad illa nunc pergo, quae, vt haec scriberem, me com-
mouerunt. Quatuor nimirum e meis academiam nunc petunt,
et honeste sunt dimittendi. Auditoresque ipsis conciliandi. Sur-
get nimirum

I. CHRISTIANVS COLDIZ, Schneeb. Iuuenis paeclaris
indole et non mediocri dexteritate instructus. A puero in scho-
la nostra adoleuit, (praeter exiguum tempus, quo Norimber-
gae fuit) et Musicae, Musisque se dicauit. Chori Symphoniaci
huc usque aptus fuit dux, et doribus eximiis suffultus in studiis
scholasticis etiam fecit progressus. Quod si et in posterum Dei
auxilium sollicitus quaeret, viresque a Deo concessas bene adhi-
bebit, paupertas ipsi obesse non poterit. Iam rationem studio-
rum suorum reddet Oratione latina de stylo Lutheri vehementi-
ori excusando, et carmine vernaculo valedictorio. Sequetur eum
Iuuenis Musis natus, et summa cum laude ad altiora studia pro-
grediens

II.

(o) Epist. 73.

II. GOTTLÖB CONRADUS NIETSCHNER, Eybenst.
Misn. Huius mores et vitam ab initio statim, cum Schneebergam
veni, mihi arrisisse non diffiteor. Modestus est, diligens, et, nisi
me omnia vehementer fallunt, probus. Linguis graeca et latina,
ut et Poësi latina et germanica sensa animi exprimere, admodum
facile ipsi est. Maete modo, mi Niefschnere, probitate, diligentia et
suauibus moribus tuis, certoque sis persuasus, quod Deus, egeno-
rum praesidium, tibi nequit quam sit defuturus. Asylum iste erit
tuum! De Asylis vero latine dicer, et nos versibus germanicis va-
lere iubebit. Excipiet hunc Iuuenis sensu celer, promptusque in-
genio

III. HIERONYMUS DAVID FRIEDRICH, Hamburgen-
sis. Quartus iam agitur annus, cum Patris, Mercatoris Florentissi-
mi, patriae suae, nostrorum montium, amore ducti, iussu Hambur-
gum, vbi a Viris Celeberrimiis probe est institutus, reliquit, et hoc
commeauit. Ex eo, quo mihi innotuit, tempore semper eum pa-
terno prosecutus sum amore, et fideliter ad artes et scientias viam
ipsi monstravi. Nec operam perdi, sed, aptum nactus auditorem,
cum insigni voluptate perspexi, quod e schola nostra non si-
ne spe exoptati fructus academiam Lipsiensem salutare, Excellen-
tissimosque ibi Medicos audire possit. Deus eius fortunet diligen-
tiam, ut spem de se conceptam impleat, et aliquando Patriae suae
Illustrissima sit ornamento. Ultima vice (tribus enim iam vici-
bus e cathedra bene et publice dixit) sermonem habebit latinum de
μισθιστών et carmine germanico nos valere iubebit. Vale ultim-
um itidem sermone ligato, eoque germanico, nobis acclamabit
Iuuenis eximius et laude praetans

IV. IOANNES FRIDERICUS SCHMIDT, Schneeberg.
recitata antea oratione latina de studii historici utilitate et pae-
stantia. A Patre Consultissimo scholae dicatus, et idoneus ad litte-
ras addiscendas deprehensus a coeplo curriculo re villa deterrei
non potuit. Nil et in posterum eum, credo, deterrebit. Eadem,
qua coepit, ire via pergit, et fundamentis in schola nostra iam posi-
tis

tis superstruat altiores scientias. Penetret adadyta Iustiniani, et sub auspiciis summi numinis quaevis bona speret. Quintus his se adiunxit, nisi variae res fuissent impedimento, quo minus citius Lipsiam adeundi propositum capere potuisset. At paucis abhinc diebus cepit istud consilium, et, si quid mea vota valent, feliciter. Loquor de Iuenee praeclarae spei et indefessae diligentiae, CHRISTIANO FRIDERICO WERNERO, Schneeberg, qui vitilis scholae nostrae fuit portio, et dignus est, qui academiam adeat, et fautores inueniat beneuelos. Omnes hos votis sinceris proficeruntur Iuuenis et ipse academiae candidatus dignissimus

V. CHRISTIANUS GOTTLIEB SCHULZE, Hartenst. Schoenburg. id quod faciet oda germanica, habita antea oratione graeca de voce *avasatoris*.

VI. denique Iuuenis bonae spei, ADOLPHUS FRIDERICUS SPIZNER, Reichenb. Var. agmen claudet, et oratione latina vexationes, quas Lutherò hostes intulerunt, recensēbit, grataisque Auditoribus Grauissimis dicet.

Omnès dicent breuiter, ne Auditorum pie colendorum abutantur patientia. Quare confluite craftino die, hora nona audita, VOS OMNES, quos scholae nostrae bene velle nouimus. Sed condecorate etiam vestra praesentia lustrationem scholae die IX. Mai et sequentibus instituendam, et nostros hoc Vestri fauoris documento ad praeclara quaevis et gratae mentis studium sic excitari certi sitis atque persuasi. P. P. Schneebergae, die Domin. Iubilate ipsis Calend. Mai.
a.r.f. cto 10 ccxxxxvi.

